















1  
1  
2  
4  
5  
6  
7  
8  
10  
11  
12





1668.

- 1<sup>a</sup> 6. Conringius, Hermannus: De legatione
- 2<sup>a</sup> 3. Conringius, Hermannus: De febre maligna vulgo dicta Ungarica. 2 Impl.
4. Eichelius, Johannes: De h<sup>is</sup> immunitatione et nominatione domini.
5. Glaucrus, Iuschi: De sequestratione
6. Merbomius, Henricus: De motu sanguinis naturali et praeternaturali.
7. Appellmannus, Henricus: De mensura pretii rerum et renumaria in repub. recte constituenda.
8. Wernerus, Georgius: De mora.

1669.

1. Conringius, Hermannus: De officialibus imperii Romano-Germanici.
- 2<sup>a</sup> 6, c. Conringius, Hermannus: De privilegiis recte conferendis et revocandis. 3 Impl. 1669 & 1678



1669.

3<sup>a</sup> Couringius, Hermannus: De contributionibus.  
2 Sumpt 1669. 1675.

4. Couringius, Hermannus: De jure belli ex publicis  
principale prelectionibus.

5. Couringius, Hermannus: De majestate epusque  
juribus circa sacra et profana potissimis.

6. Eichelius, Johannes: De precariis

7. Eichelius, Johannes: De communiione bonorum  
inter conjuges.

8<sup>a</sup>. Wernerus, Georgius: De origine, usu et auctoritate  
juris canonici in foro civili et terris protestan.  
Fam.

8<sup>b</sup>. Wernerus, Georgius: De origine, usu et auctoritate  
juris canonici.



J. Wernerus, Georgius: De usu et auctoritate juris  
canonici. in foro civili et terris protestantium

te  
sa.  
ak





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*





DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

1668, 34

DE

FEBRE MALIGNA VULGO  
DICTA VNGARICA

Q V A M

D. O. M. A.

AUCTORITATE ET CONSENSU INCLVTI

MEDICORVM COLLEGII IN ILLVSTRI

ACADEMIA IVLIA

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CLARISSIMO

HERMANNO CONRINGIO

PHIL. ET MED. DOCTORE HVJVSQVE

ET POLITICES IN FLORENTISSIMA IVLIA

PROFESSORE PVBLICO LONGE CELEBERRIMO,

HODIE FACVLTATIS MEDICÆ DE-

CANO SPECTABILI &c.

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONO-

RIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

IMPETRANDIS

PUBLICO EXAMINI SUBIECIT

AD DIEM JULII

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IN MAGNO IVLEO

HENRICUS CAROLUS Stiffer.

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MVLLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLXXIX.











SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC  
DOMINO

DN. JOHANNI  
FRIDERICO

DVCI  
BRVNSVICENSIVM  
ET LVNEBVRGEN-  
SIVM

DOMINO SVO CLEMEN-  
TISSIMO

A 2

Hanc



Hanc Disputationem Inauguralem

in devotissimi animi signum

humillime

offerre & consecrare

voluit, debuit

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS

S V Æ

subjectissimus cliens

HENRICUS CAROLUS Stisser

Autor.

Q.D.B.V.





Q. D. B. V.

I.

**I**N malignis & periculosis febribus non minimum meretur locum illa, quam nostri vocant Ungaricam; quæ quamvis non plane pestilens est, contagiosa tamen & ob id pesti haud absimilis jure putatur. Sortita autem hæc lues nomen inde est, quod in Hungaria maxime innotuerit, & quidem, cum Maximilianus II. Imperator anno 1566 contra Solimannum Turcarum Tyrannum expeditionem suscepisset ad Comorram: tum primum innotuit hic morbus; ad Jaurinum incrementum sumit: postea diffuente milite exautorato, ad Germanos, Gallos, Italos, Belgas hoc malum propagatum, per totam pene Europam disseminatum est. Vehementior tamen & diuturnior malignitatis portio Viennæ hærebat, qua domum revertentibus & pene singulis transeundum erat, & pro se quisque reficiendi corporis studiosus, dum intra tecta reciperetur, grâti animi aut mercedis loco infeliciter morbum hospiti vel familiæ ingerebat, & ita advenarum diversoriis dedicata loca undequaque languentibus referta, ut viæ publicæ cædaveribus occupatæ, conspiciabantur. Variis autem morbus hic nominibus gaudet; dum alij Cephalalgiam Ungaricam ob gravissimum capitis dolorem, quo hac lue correpti miserabiliter excruciantur, alij aliter appellant, Germani vocant die Ungerische Haupefrackheit. Alijs à nimio contagio

A 3

tagio



ragio & calore det hisigen ansteckenden Hauptkrankheit / A-  
lijs à delirio des Hirntobens nomine, venit.

II.

Quamvis autem in Hungaria lues hæc valde grassata &  
inde nomen indepta fuerit, inde tamen juxta quorundam  
sententiam colligere non licet, morbum hunc omninò no-  
vum esse & veteribus medicis nequam cognitum. Expres-  
sa enim Hipp. verba l. 2. sect. 3. de morbis Epidemiis horum  
adversantur sententiæ. *Εγίνοντο δὲ ἐν τοῖσι θερμοῖσι πυρετοῖσι περί  
ζ. καὶ η. καὶ θ. τρηχίσματα, ἐν τῷ χρόνῳ κεχρηώδεα τοῖσιν ὑπὸ κω-  
μάτων γινόμενοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, ἔπειτα κνησμώδεα.  
Ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσεως. ὀρσιν δὲ ἔθεν ἐῖδον ταῖαυτα ἐξανθή-  
σαντα. γυνὴ δὲ ἔδεμία ἀπέθανεν ἢ ταῖτα ἐγένετο: βαρῆκοὶ τὸ ἦσαν καὶ  
κωματώδεις. πρόσθεν δὲ ἔκαστα ἦσαν κωματώδεις ἦσιν, ἔμελλε ταῦτα  
ἔσεσθαι. In febribus autem æstivis circa septimum octavum & nonū  
diem aspredines quadam miliacea, culicum morsibus fere simi-  
les, quæ tamen non admodum pruriebant, in summa cute subna-  
scebantur, & ad judicationem usque perdurabant. Ac ne ea  
quidem masculorum ulli eruperant. Mulier vero, cui talia fie-  
rent, nulla mortua est, Hebetiori tamen erant auditu & soporo-  
sa, quamvis antea non admodum soporosa essent, quibus ista eve-  
nire debebant. Neque tamen in totum perseverabant. Nec  
non Galenus noster l. de atra bile c. 4. quamvis non tam  
clare & perspicue hac de lue scripserit, ad eam tamen al-  
ludit.*

III.

Est autem lues hæc maligna & contagiosa, cum ma-  
culis & delirio variisque symptomatibus conjuncta. Et  
jure quidem malignitatis nomen meretur, quia sæviora,  
quàm pro naturæ suæ ratione, ex occultis qualitatibus in-  
terdum oriunda, eam comitantur symptomata. Nec præ-  
termit-



termittendum, quod febris hæc principio jam præterlapsa  
& ingruente statu, signa præ se ferat lethalia, quæ tamen  
pleraque saluberrima videntur; ita, ut vix ægrum præter na-  
turam sese habere, sentire, sed potius mox evasurum præ-  
sagire queas. Huc accedit difficillima & laboriosissima cu-  
ratio diligentissimorum & peritissimorum Medicorum; qui  
quamvis omni ope sæpius nitantur plane hunc morbum  
tollere, & pene interdum sublatum putent; attamen præ-  
ter omnem spem subito sævissima prorumpunt sympto-  
mata, quæ plus sæpius negotii, quam ipse morbus medicis  
curantibus faciunt.

#### IV.

Contagium porro cum febre hæc semper conjunctum  
videmus; & vult Rulandus Qu. 4. c. 8. p. 335. illum, qui lu-  
em hanc hoc private velit encomio, dignum esse, qui tam-  
diu cum ea lue correptis versetur, dum hausto seminario  
ipse confiteatur, pari se teneri affectu, quos eodem mox  
alios haud immunes oculis viderit. Non autem sequitur  
quasi omnes omnino homines corripere necessario debe-  
at; sed si consideramus Contagii definitionem, facile vide-  
bimus, quomodo intelligendum sit morbum hunc esse con-  
tagiosum. Definit autem Sennertus noster l. 4. de feb. c. 2.  
hoc modo: *Contagium est materia sive seminum viriosum, è  
corpore aegro emissum, quod in analogo corpore receptum, similem  
in eo morbum gignere & producere aptum natum est.* Hinc  
tria ad contagium requiruntur 1. Corpus contagiosum  
quod alia inficit 2. Morbus & materia quod alteri commu-  
nicatur & per quod aliud inficitur 3. Corpus quod infici-  
tur. Corpus contagiosum dicimus, quod affectu aliquo  
laborat contagioso, ipsumque alteri communicat. Dein-  
de quod è corpore contagioso alteri communicatur, non  
est



est ipse morbus, quo prior infectus erat, sed corpusculum quoddam è corpore contagioso effluens, & in alio quodam analogo receptum, similem in eo morbum excitare valens, quod Græci vocant *μίασμα* ut & *σπίρα*, Latini inquinamentum ut & seminarium. Sicut enim semen è corpore vivente decisum animatum specie simile illi à quo decisum producere potest; Ita contagiosus humor vel vapor è corpore infecto emissus, atque in aliud corpus receptus, similem illi morbum inducere potest. Denique corpus perpendendum est quod contagium recipit. Sub corpore autem illo comprehendimus corporum & humorum pravam dispositionem. Corpora enim sicca & quæ superfluitatibus carent, minus apta sunt; contra calida, humida, & vitiosis humoribus repleta, quàm commodissime hunc affectum sibi attrahere possunt. Consanguinei præterea plerumque huic affectui valde sunt dediti. Tantæ enim virtutis & potentiæ est contagium, præsertim in iis corporibus, inter quæ est proprietas quædam & similitudo, qualia sunt parentum & liberorum, sororum & fratrum. Et quo quis sanguine conjunctior & magis propinquus, eo sæpe numero celerius hoc malum ab alio concipit, propter sympathiam h. e. propter cognationem naturæ & spirituum humorumque consensum.

V.

Fit autem contagium illud duplici modo: 1. Immediate quod fit per contactum, quando nempe per mutuum corporum duorum contactum affectio præter naturam ab uno alteri communicatur. Hujus autem contagii semina-ria in crassiore resident materia, & solum per sudores & sordes corpori communicantur, nec tantæ potentiæ sunt, ut sese longius diffundere possint. 2. Mediate fit, quando  
aliquo



aliquo interveniente duo corpora ita se tangunt, ut per *μακροσμοα* corpus contagiosum affectionem illam sano corpori communicet. Et vero contagium illud admodum tenue & subtile est, ut facile penetrare possit.

#### VI.

Multa præterea circa contagium dubia occurrere solent; quæ tamen ut adducamus & exsolvamus, non huius est loci, quia in tractatum abiret nostra hæc dissertatio. Pergendum itaque nobis est duntaxat ad maculas illas quæ adparent, utpote quæ præ alijs aliquam considerationem merentur. Sunt autem maculæ illæ non cutis asperdo aut exulceratio, sed tantum coloris mutatio, non quidem continua & connexa, sed distincta & punctis quasi facta: quas Græci quidam vocant *στυματα*, à nonnullis autem vocantur *ἐξανθήματα*. Cum vero *ἐξανθήματα* illa duplicis sint generis 1. enim quandoque tubercula quædam in cute erumpunt, & dicuntur pustulæ seu papulæ, & in his continetur humor aliquis 2. quandoque colorem cutis tantum mutant. Posteriori autem solum modo maculas illas nostras *ἐξανθήματα* vocare licebit.

#### VII.

De materiâ hærum macularum non parva vertitur inter medicos controversia. Sunt enim, qui materiam vaporosam, sunt, qui humorosam maculas hæc construere volunt. Qui vaporosam statuunt, pro ratione adducunt, quod repente fieri soleant, quodque illud quod repente fiat, citius à vaporibus, quam humoribus oriatur. Præterea ex humoribus generari pustulas, vapores vero nullo modo illis producendis aptos esse, omnibus ferè notissimum est. In hac autem lue maculæ illæ sine ulla, ceu jam diximus, exuberantia generantur. Addunt alij, quod citius evanes-

B

scant



seant & dissolvantur hæ maculæ, quàm si ab humoribus generarentur; putantque adeò definitionem humoris & vaporis facile omnem controversiam dirimere posse. Cum enim humor non aqueam quandam & simplicem substantiam, sed corpus mistum & liquidum sub se comprehendat, quod, ut magis quàm aqua compositum est, ita longe plures & præstantiores quàm aqua vires habet, ut Sennert. *l. 2. p. 2. c. 3. de causis intern. morb.* habet. Contra vero vapor est halitus humidus & calidus, ex aquosa substantia vi caloris e ductus, qualis nimirum ex olla supposito igne ascendit, ut habet Aristoteles *1 Meteor. c. 4.*

### II X.

His contrariam qui statuunt opinionem, humorem pro materia habent, & ex illo peticulas (ita enim hæ maculæ solent vulgò dici) generari volunt: nihil attendentes apparitionis & occultationis celeritatem. Putant nimirum, non modo vapores, sed etiam humores ipsos citissime à natura moveri, & in quamcunque corporis nostri partem agi; proque exemplo adducunt variolas, quæ repente interdum efflorescunt, repente etiam pereunt, quæ tamen ex humoribus originem trahunt. Cæterum & nos in hanc sententiam maximè vergimus, peticulas scilicet ab humerosa posse etiam gigni materia. Nec tamen hoc ipso negamus, quod etiam vapor quicquam ad peticularum generationem conferat; quatenus nempe vapor iste ex humoribus ortum suum habet, & tenuitate quasi ab humore maximè differt. Etsi enim à quocunque humore, cum crassum tenui, peticulæ gigni possunt; tamen si à crasso gignantur, hoc non fieri solet, nisi vel humor ille ante fuerit multum attenuatus, vel non nisi à tenuiori humoris parte. Cumque non continuata quadam & æquabili connexionem, sed



sed sparsim & punctim hæ maculæ appareant, necessarium est, hunc quoque humorem non æquabiliter sed divulsim in cutem erumpere, & veluti per cribri angusta foramina transitum sibi comparare. Facile itaque nos exsolvere possumus, si tantum petechiarum formas magnitudinem & colorem spectemus. Non enim eundem hæ maculæ omnes habent colorem, sed varium, & quædam interdum singulæ sibi proprium; hinc sanè sequitur, coloris harum macularum varietatem non aliunde, quam ex ipsa humorum varietate produci.

### IX.

Oritur nunc porrò quæstio, secundum quam partem cutis afficiatur. An secundum cuticulam tantum, an cuticulam & cutim simul, an vero etiam ad partes adjacentes, ut membranam adiposam affectus pertingat. Ast facilis & prompta est responsio, latere maculas istas inter cutem & cuticulam, & instar rubini è cuticula elucere. Cuticula nimirum compactior & densior est ipsâ cute, ut humores & vapores, qui ab internis ad superficiem corporis trudentur, cutim facilius permeent, & in spatio inter cutem & cuticulam hæreant. Quod cum primis fieri solet, si humores sint crassiusculi, ceu in extuberantiis & variolis videre licet. Si verò humores sint subtiliores, sine omni extuberantia inter cutim & cuticulam hæreere & pro ratione colorum elucere possunt.

### X:

Quamvis autem ubique fere appareant hæ petechiæ seu maculæ, tamen in facie, manuum volis & pedum plantis, vix eas reperies. Hujus rei causa vulgo redditur, quod ibi locorum non tam insignes venæ & arteriæ reperiantur, quam in dorso, brachiis aut cruribus, ubi copiosè efflo-

B 2

scunt.



scunt. Ast arteria jugularis, cujus externus ramus per faci-  
em dispefcitur, contrarium plane testatur. Hoc equidem  
concedere possumus, venas & arterias in dictis locis non adeo  
magnas esse, inde tamen non sequitur, quod propterea ibi  
petechiæ erumpere nequeant. Si enim illa, quæ ex humo-  
ribus crassis & lentis oriuntur, erumpere possunt, quidni quæ  
ex materia tenui, fluxili, & subtiliori, qualis materia est in pe-  
techiis? Verior proinde ratio hæc esse videtur. Transitus  
nempe petechiarum in facie impeditur, quia illa externo aë-  
ri est exposita, hinc materia illa ab aëris frigiditate repelli-  
tur. Hæc sane cutis in facie aëri exposita semper est con-  
strictior & compactior, ut humorem, præsertim si sit crassus,  
haud facile admittat, & ita ab aëris injuria minus lædatur.  
Quod autem in volis manuum & pedum plantis itidem non  
appareant maculæ, partim inde erit, quod non illæ partes  
itidem sæpe aëri expositæ sint, partim etiam quod illas par-  
tes plerumque callus obducatur: & propterea ob cuticulæ  
densitatem petechiarum prolapsus in illis locis vix senti-  
atur.

XI.

Porro autem nobis considerandum offertur subjectum  
hujus febris; ut recte sciamus, quæ pars ægrotet, quo debito  
loco medicamenta adhibenda, cum partium affectarum di-  
versitas curationem non parum variet. Sunt Medicorum  
etiam hac de re variæ sententiæ. Et vero hos inter Jaco-  
bus Schegkius, cum quibusdam alijs medicis subjectum  
febrium triplex constituit; Putridæ nempe sanguinem, E-  
phemere spiritus, & Hecticæ solam cordis substantiam.  
*Morbis enim, inquit, est habitus contra naturam, quo primum  
impeditur evépyeta naturalis. Cæterum ut sit expedita évépyeta  
sorporis animati, non solum agens corpus, sed etiam patiens secun-  
dum*



dum naturam affectum & sanum esse oportebit : quod si ambo sana, etiam morbida esse poterunt. Quis ignorat à Galenò & Aristotele morbidum sanguinem dici ? Quis non intelligit propter spiritum deficientem saepe languescere vires solidarum partium, quae sunt nutrimentis & medicamentis reficienda ? Ergo, si non in continentibus aut solidis duntaxat est causa, ut corpus suas eversiones exercent, verum etiam in contentis : quid verat, quo minus sanguinem πῶτον dextrinò putrida dicamus, & Ephemera spiritum ? quod si non faciamus, necesse erit, omnem febrem hecticam esse, si morbus seu febris tantum est in solidis. Contagionem porro hanc caloris, qua solidae partes etiam afficiuntur à febribus contentorum, febrem non esse dicimus, sed intemperiem calidam quandam & imbecillitatem. Haftenus Schegkias.

### XII.

Nec praetereunda hac in re opinio Paracelsicorum, qui febrem morbū nitri, & sulphuris accensi & nominant; & essentiam febris non calorem, sed ardorem sulphuris esse dicunt, idque ea de causa, quod febris frigidis deleri nequeat, nec debeat. Quin volunt, incendium à calore distinguendum, incendiumque ipsam febrem, calorem vero tantum signum & indicium praesentis incendii esse dicunt.

### XIII.

Quid ipsi sententiamus, quamve Schegkio assentiamur aut ab illo abeamus theses nostrae sequentes declarabunt. Examinanda igitur praecipue Paracelsistarum sententia nobis fuerit. Caeterum ut hanc paulo altius consideremus, in propatulo est, Paracelsistas non distinguere inter morbum ipsum & causam morbi, & quod in curatione primò respiciendum simpliciter ipsos pro morbo habere. Aliquā porro ex parte sententiae illorum assentiremur, si sulphur & nitrum accensum febris causam proximam sta-

B 3

tuerent,



gnerent, & idem cum illis chymicis sentire viderentur, qui ex humorū putredine *ἐκκρίσεις* sive accensione, vel cum Galenicis nativi caloris in igneum conversione, febrem generari docent. Quod vero febrim nitri & sulphuris accensi morbum nominant, id nullis unquam rationibus probari poterit.

XIV.

Vt igitur nos expediamus, cum optimis medicis verum hujus febris subjectum illud, quod febrium etiam est aliarum, nempe cor statuimus. Sciendum scilicet est, sicut cor caloris vitalis fons est, eumque in omnia membra diffundit & omnium partium temperiem & calorem insitum tuetur & roborat, ita si præter naturam afficitur, caloremque alium naturali intensiorem concipit, febrilis etiam caloris fons necessario evadit, eundemque facile toti corpori communicat & temperiem naturalem immutat. Et sicut nullum aliud est membrum quod temperiem calidam totius corporis fovere possit, nisi cor; ita nullum est membrum in corpore, ubi febris proxime possit accendi, quam cor. Etsi verò sæpe accidat, ut in aliarum partium inflammationibus, aut humoribus in aliis partibus putrescentibus, febris accendatur; tamen calor ille non est febrilis, priusquam cordi communicatur, è quo deinceps in totum corpus diffunditur. Cujus rei & id argumentum est, quod in omni febre pulsus mutatio quædam accidat; quod non fieret; nisi cor & arteriæ afficerentur. Hoc præterea notissimum, ex nullo alio membro tantam caliditatem in corpus diffundi posse, quàm ex corde.

XV.

Cognito autem jam vero subjecto, disquirendum nobis porro erit, quomodo febrilis ille calor toti corpori communicetur, & per quas vias in totum corpus transeat.

Scien-



Sciendum igitur, calorem hunc febrilem non inesse singulis partibus æquali proportione; sed, sicut calor naturalis in quibusdam partibus intensior, in quibusdam remissior est, ita etiam calor hic præternaturalis. Quod autem una pars alterâ calidior sit, accidit vel propter cordis vicinitatem, vel ob vasorum excellentiam; quapropter quæ insigniora habent vasa, plus sanguinis recipiunt, & calidiores sunt aliis. Notum itaque est medium aliquod quasi vehiculum esse sanguinem, sine quo nec calor naturalis in statu naturali, nec febrilis in præternaturali constitutione, huc illuc transire, refluxere & vagari unquam potest.

#### XVI.

Vias quod attinet, venas & arterias illas esse nemo negabit. Arteriæ scilicet spiritum vitalem & sanguinem *ἡμωμιόν*, è corde propulsum, in universum corpus impellunt. Venæ vero sanguinem ex arteriis haustum per anastomoses minores in majores, donec venam cavam & dextrum ventriculum tandem ordo tangat, recipiunt. His binis naturalibus ductibus natura quandoque abutitur, per illosque simul etiam circumvehit calorem febrilem & in totum corpus diffundit. Quod videre licet in petechiis hac in febre huc & illuc in toto corpore erumpentibus; quæ quandoque iterum evanescent & recedunt, cum sanguine in venis miscentur, per pulmones transeunt & ad Cor redeunt. Hinc illæ cordis anxietates & alia gravissima sunt symptomata.

#### XVII.

His expositis, ad causæ cognitionem pergendum, cum sine illa morbum pernoscere nequeamus; scire enim est rem cognoscere per causam proximam & immediatam. Primo itaque quid de causa proxima statuendum, declarabimus,



bimus. Alii vulgarem putredinem esse illam volunt, & quidem sordidam; dicentes, putridas à malignis in eo differre, quod hæ habeant insignem profundam & sordidam putredinem, illæ vero simplicem. Verum nisi putredo malignæ febris quasi venenatam aliquam qualitatem in se contineat, ab alia simplici non nisi gradu differt; gradus autem nomen malignitas non meretur. Præterea hæc febris est contagiosa, morbi vero contagiosi natura est, suum effectum, ægroto vix animadvertente, brevi assequi. Hoc autem à vulgari putredine, quæ sensim & sensim quasi per corpus repit, quamque manifestæ alterationes præcedunt, fieri non potest.

### XIIX.

Præterea infirmo nititur sententia illa fundamento. Nulla enim putrida, nulla intemperantior aëris constitutio in tam multas mundi regiones evagari potest, Quæ enim calidis & humidis noxiâ fuerit, frigidis & siccis salutaris evadet; at pestilentia, ut etiam hæc nostra febris Vngarica tam immaniter genus humanum interdum exercet, ut universum pene orbem devastet, frigidas perinde ac calidas regiones, siccas haud secus quam humidas, & hyeme ut æstate depopuletur. Jam vero, si una vulgaris putredo tantæ cladis tantæque perniciæ causa est, ut universum fere genus humanum in regione aliqua ad internecionem perducatur, quæ ergo fit, ut non peræque ad omnia animantia pertingat. Nam si salubris aër spiritu ductus omnium animantium vitam tuetur, totique illorum generi salutatis est, cur putrida illuvie contaminatus toti animantium generi æque perniciosus non est? Omnibus autem id in confesso est & experientia comprobatur, quod agricultores memoriæ prodiderunt, pestilentiam aliam incidere, quæ solos boves, aliam quæ oves, aliam quæ gallinas è medio tollat.

### XIX.



XIX.

Deinde sententiam illam theſis noſtra xv facile tollit & irritam reddit. Ex illa enim notum eſt, morbum hunc in corde accendi: neceſſum igitur erit ut cauſa proxima, quam illi putredinem eſſe volunt, etiam in corde poſita ſit. Aſt hic quidem craſſus error fuerit, quis enim putrido corde vivere poſſet. Sane cor ut nec ulcus nec eryſipelas aliquod admittit, ita nec ulla putredo in illo conſiſtere poterit.

XX.

Verior itaque cauſa proxima imo veriſſima hæc erit ſanguinis nempe maligna quædam corruptio, & quidem ſingularis propter varias corruptionum differentias. Alia ſcilicet eſt corruptio humorum in variolis, alia in lue venerea, alia in febre hac petechiali, quæ tam varia occurrit, & cui quotidie in hac imbecillitate adeo multa accreſcunt, ut ſingulatim omnia explicare nullâ ratione queamus.

XXI.

Perſpecta nunc cauſâ proximâ facile mediatâ noſcere poſſumus. Hanc vero ſanguinem ſtatuiſmus. Qui quando impurus & cum aliis humoribus, ſcilicet pituitoſo aut biliſo aliisque, commixtus eſt, morboſus dicitur; talisque huic febri non immerito adſcribitur. In ſanis purus ſanguis reperitur; in ægris autem in ejuſmodi humores pro natura intemperiei degenerat. Præſertim vero à bili laborat. Quæ ſi plus juſto in ſanguine cumulatur, & non ſufficienter ab hepate imbecilliore ſeparatur, ad incenſiones & inflammations febriles anſam dare poteſt. Unde videre eſt, quod cruor in febribus hiſce malignis emiſſus corruptæ bilis ſpeciem exhibeat, diverſasque præternaturalis bilis ſpecies repræſentet.

C

XXII.



## XXII.

Hiscæ causis deinde accedunt aliæ & naturales & non naturales. Inter naturales primum obtinet locum Temperamentum, quod humidum ad hanc litem pronius est sicco, ut calidum frigido. Calidum vero & humidum simul omnium maxime ad illam videtur dispositum. Cui habitus corporis succedit. Et vero carnosæ & quadrata corpora facilius ab hisce febribus infestantur, quàm gracilia: quin imo illa magis quàm ista periclitantur in his malis; ut deinde Galenus & Avicenna velint, non aliud circa illa esse faciendum, quàm ut in statu suo naturali conserventur. Ætatem porro quod attinet; puerili simul & senili convenire hoc plus quàm manifestum est; attamen puerilis ætas propter humiditatem diffluentem corruptioni humorum magis est obnoxia, quàm senilis. De sexu hoc notandum occurrit: tam muliebrem quàm virilem laborare solere; attamen mulieres hisce febribus magis vivunt obnoxia.

## XXIII.

Inter non naturales causas agmen ducit Aër in quo vivimus. Aëris autem dispositio & mutatio ad febrem hanc generandam humida simul & calida aptissima redditur. Avicenna ad aërem quoque refert exhalationes è terra erumpentes: & Galenus majorum syderum virtutes ad aëris mutationem facere monuit: interventu tamen humiditatis & caliditatis. Hippocratis hac de re sententia est ad aërem quoque pertinere, si hyemem siccam & aquiloniam excipiat ver pluviosum & australe. Verba hæc sunt: *Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver pluviosum & australe, estate necesse est febres acutas fieri & opthalmias & dysenterias: mulieribus præsertim & viris natura humidioribus.*

Non



Non negligendæ porrò in harum febrium ortu potiones  
& cibi, si nempe pravos succos gignant, vel corpus ad pra-  
vam dispositionem immutent. Et quidem potiones a-  
quarum stagnantium, si ad has pravæ è terra exhalationes  
perveniant, has febres generare possunt. Inter cibos  
referimus præcipue cucurbitas, cucumeres, cepas, por-  
rum & id genus alia nimis copiose assumpta. Talia sanè  
succos pravos generant, dumque putrescunt febres ha-  
sce, his imò deteriora etiam mala inducere possunt. Re-  
liqua verò ciborum genera quo propius ad recensitorum  
naturam accedunt, eo facilius has febres generare & pro-  
ducere poterunt.

#### XXIV.

Motus porrò & quies promovendis his febribus oc-  
casionibus esse solent; quamvis quæ moventur difficilius  
putrescunt quam quæ quiescunt. Motus etiam facile  
huic malo ansam præbere potest, si sit immoderatus, si im-  
portunus, si fiat in locis calidis & humidis. Quies si nimis  
otiosa & expers ventilationis sit, præcipue cruditarum gi-  
gnendarum & humiditarum congerendarum est idonea.  
Somnus præterea & vigiliæ, si moderate sese habeant, ca-  
lorem naturalem conservare possunt, coctiones juvare &  
naturæ viribus succurrere; contra vero si immoderate illis  
utamur, viam omnibus malis quæ huic febre producendæ  
apta sunt, patefacere possunt. Inprimis vero debilitato  
calore & auctis crudis humiditatibus fores his febribus o-  
ptime aperire valent.

#### XXV.

Accedimus nunc ad animi *passiones*. Quæ si modum  
nimium excedant, & corpus biliosum calidumque reddant,  
facile febres accendunt. Cumprimis ira symbolam suam

C a

confert.



**Confert.** Iracundi enim plerumque sunt biliosi: quia in  
omni ira sanguis efferuescit & tumultuatur quasi, atque  
impetuose ad partes externas præ vindictæ cupiditate fer-  
tur. Iræ vero gaudium timorem & mœstitiâ addere licet:  
quia & illa ad hunc affectum aliquid conferunt. Excre-  
tiones denique immodicæ cujuscunque generis, partim  
calidis humoribus exagitatis, partim calore nativo immi-  
nuto ac debilitato, facile homines ad febrem hanc dedu-  
cunt. Retentiones verò præternaturales, si vel menstrua,  
vel alvi dejectiones, vel sanguinis aut alterius humoris e-  
vacuationes fuerint suppressæ, hisce febribus commodis-  
simam offerunt occasionem. Et tantum de causis non  
naturalibus.

XXVI.

Cognitis vero subjecto, causisque tam mediatis quam  
immediatis, naturalibus & non naturalibus, ad signa per-  
gimus. Hæc autem sunt duplicia: alia Diagnostica quæ  
præsentem demonstrant constitutionem, alia Prognostica  
quæ futuram prænuntiant. Inter Diagnostica primum  
locum obtinet calor, qui tactus sensu diligentissime ex-  
plorandus est; itaque quoniam sæpius intus maxima ex  
parte delitescit, malignoque incendio viscera perurit;  
tunc sanè manus crebro est carpo & regioni cordis appli-  
canda. Quo diutius autem tangendo insistis, tanto cu-  
mulatius calor ille crescit, ut sæpe manum retrahere cogi-  
tis; hoc vero cum sentimus, putredinem malignam & a-  
durentem adesse, certò conjicere licebit. De pulsu por-  
ro notandum, quòd sæpius ille medicum fallat; cum ab  
initio multus validus est æqualis & plane naturalis, at si  
symptomata accedant, deterius minatur, unde tum in-  
ordinatus & inæqualis evadit. His addimus respiratio-  
nem



nem difficilem, tremorem & cordis palpitationem; Cor enim maligni vaporis occurſu laceſſitum quali fremit & luſtando tumultuatur motu violentiſſimo ad expulſionem veneni exitium afferentis : pertinet huc etiam delirium & cardialgia. Quibus plerumque accedit creber aurium ſonitus; vaporum ſcilicet perennis affluxus adeo copioſe illabitur, ut non modò interdum auditum impediatur, verum etiam ſurditatem faciat. Atrociffimam dein cauſantur cephalalgiam halitus calidi acres & maligni ad caput adſcendentes: potiſſimum verò humor bilioſus ſeroſus & malignus, per arterias ad meninges delatus, eaſque velut aculeis pungens diſtendens & occulte infeſtans. Huc etiam refertur virium imbecillitas; multi enim primo morbi incurſu ſeſe plane deſeſſos & elumbes eſſe ajunt, quomodo vero & quibus in locis moleſtiam percipiant exprimere non poſſunt. Denique ſequuntur maculæ ſeu petechiæ illæ, de quibus fuſius ſupra egimus. Et hæc ſigna ſunt luem præſentem ejuſque naturam demonſtrantia. Bene itaque attendendum, ne uni alicui ſolli inniſi ſigno, inconfiderate ocuſus morbum hunc dijudicemus, ſed potius nonnullis ſimul copulatis, circumſpecte, primo ſtatim aditu, luem iſtam dignoſcere & cognoſcere perdiſcamus.

### XXVII.

Absolutis Diagnosticis pergimus ad ſigna Prognoftica. In his verò admodum cauti eſſe debemus, cum non ſolum gloriam, verum ſæpe etiam infamiam inde liceat adipiſci. Quare id agendum ut magna prudentia adhibita rem examinemus, idque mature, ne videlicet prono nimis iudicio quidquam concludamus & in falſas ruamus prædictiones. Et vero in univerſum eſt veriſſimum: iudicium eſſe difficile de futuris morborum even-

C 3

tibus,



tibus, præcipue vero acutorum & malignorum. Vnde jam olim Celsus 2. *Aph. 19.* *In morbis acutis non omnino certa sunt mortis aut salutis prædictiones.* Hoc tamen in genere cum Sennerto concludere possumus: Quo vires fortiores & symptomata mitiora sunt eo melior morbi eventus sperandus; contra, quò vires debiliores & symptomata graviora eo morbus est periculiosior.

XXIX.

Primarium verò prognosticum signum exhibent petechiæ sive maculæ. Hæ sane si inordinate prodeant & mox retrocedant, latæ item sint pallidæ vel luridæ vel nigricantes, cum sævissimis symptomatibus solent conjungi ac proinde virium majorem debilitationem comitantem, mortemque plerumque portendunt 2. Sudor. Si scilicet æger in principio morbi multo sudore mædeat, bonum est, modo non sit conjunctum cum virium prostratione; facile verò præfagire possumus pro virium constitutione, ægri naturam esse vel afflictam vel roboratam. Cum malignitatem nempe per sudorem propellere conatur & feliciter propellit, bonum: contra vero malum. Frigidus vero sudor juxta Hippocratem 4. *Aph. 37.* cum febre acuta mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem significat. 3. Alvi excretiones nigrae, & pejoris odoris quàm pro consuetudine, mortem portendunt. Inflammationes enim & corruptiones in intestinis significant. Id quod Anatomici testantur: qui in cadaveribus hæc lue demortuis inflammationes gangrænas & corruptiones in intestinis ventriculo reliquisq; visceribus invenerunt. 4. Urina nigra quanto crassior tanto deterior, & majorem scilicet resolutionem imò & mortem ipsam indicat. 5. Aurium surditas. Circa quam notan-



notandum cum Riverio *l. 3. med. prax. c. 1.* in statu morbi apparentem salutem portendere. Verba ejus sunt *Et nos millies observavimus, hisce febribus laborantes, quibus surditas in statu supervenerit, aliis symptomatibus quantumvis periculosis existentibus, omnes evasisse.* Et rationem addit. *Indicium enim est, inquit, cerebrum satis validum noxios humores ab internis partibus ad exteriores derrudere.* 6. Cibi fastidium periculosum signum est. Significat enim ventriculum à maligna qualitate superatum, ejusque temperiem omninò everfam, ut laudabile alimentum sibi in statu naturali familiarissimum respuat & plane aversetur. 7. Nimius singultus non bonum præbet signum. Refert sane ante laudatus Riverius *l. 9. c. 6.* ex Hippocrate in *Coac.* *Si quis in laboriosa febre singuliat morbo laborat pessimo.* Fit enim ille singultus ab humoribus acribus & malignis tunicam ventriculi internam vellicantibus & facultatem illius expultricem stimulantibus. Hinc & dicit Vallesius, se nullum vidisse servatum, in extenuatis aut febre ardente vel maligna correptis, cui singultus supervenerit. Observavit etiam Platerus, singultum in febribus ardentibus supervenientem & perseverantem plerumque mortis esse prænuncium; qualem etiam observationem notavit Riverius *Observ. commun. 1. p. 302.* 8. Motus tremuli manuum & linguæ funesti esse solent, ut habet Hippocrates *1. prog;* præ se ferunt enim virium imbecillitatem, & naturam à morbo devictam satis demonstrant. 9. Contractio- nes membrorum quæ in hac lue sæpius contingere solent, valde sunt periculosæ, idque magis, si cum delirio conjungantur; ostendunt enim maximam cerebri læsionem. 10. Denique Delirium, quod est frequentissimum, si perseverat, perniciosum est; quia plerumq; in veram phrenitidem degenerare solet.



XXIX.

Possent multa alia signa in medium proferri, verum ne in longius abeat dissertatio nostra, inutile id hac vice putamus. Sufficiant itaque hæc; pergendum verò ad ipsam curationem cum utile sit non tantum, nosse causas signa & reliqua morbo alicui accidentia, sed quam maximè sit sciendum, quomodo morbus tolli & curari & æger in pristinum statum restitui possit. Restat igitur, ut quomodo & qua ratione & quo ordine medicamenta sint adhibenda nunc subjungamus, quod medendi methodus clare demonstrabit.

XXX.

Vt autem in curatione justum observemus ordinem, tali methodo progrediemur. 1. Vias primas ab excrementis liberabimus. 2. Materiam venenatam, quæ corrupta ac putredinem passa est, evacuabimus. 3. Addemus illa quæ malignam qualitatem corrigant, & quod non penitus corruptum alterent, item quæ putredinem impediant, ejusque causam obstructionem tollant, materiam quæ proxima putredini evacuent & febris calorem temperent. 4. Vires restaurabimus alimentis & medicamentis convenientibus, quæ spiritus reficere, partiumque principum robur ac temperiem conservare possint. 5. Denique symptomatum nonnullam habebimus rationem.

XXXI.

Quoniam verò sanguinem in hac lue inflammatum videmus, non immeritò quærimus, an primæ viæ prius expurgandæ, an vero vena secanda. Ast facilis est responsio, cum primis esse attendendum, quid virium robur permittere velit. Si enim earum imbecillitas statim initio adest, non concedenda erit V.S: quia prolapsus virium magis  
magisque



magisque augetur. Dein videndum, an corpus sit plethoricum an cacochymicum. Si enim plethoricum non prohibenda V.S. Si vero cacochymicum, primæ viæ potius purgari debent. Quod sequenti pulvere fieri poterit in corpore robustiore;

℞. Spec. Diaturbith. cum

Rhabarb. ℥ij.

Pulv. Rad. Gialapp. gr. vj.

Diagrid. gr. iij.

M. l. a. S.

Exierpulver pro i dosi.

### XXXII.

Non tantum autem per inferiora purgare possumus; vomitoria & clysteres etiam multum interdum conferunt. Tutius autem clysteres quam vomitoria adhibemus; vomitoria enim magnam sæpè naturæ vim inferunt, laxantque superius ventriculi orificium, quod naturaliter ingressum non egressum patitur. Si vero in ventriculo aut in ejus vicinia humorum pravam congeriem deprehendamus, unde damnum majus oriri posset, sequenti vomitorio subvenire possumus.

℞. Succi Raphan. ℥ss.

Croci metallor. gr. iiij.

M. S.

Brechsäftelein uff i mahl.

Post vomitum ventriculus iterum nonnihil corroborandus erit: quod sequenti modo fieri potest.

℞. Aq. Cynamom.

Rosar.

Succi Cydon. āā ℥ss.

Syr, Mastich.

D

Coral-



Corallor. ana ℥ij.

MSS. S. Magentrencklein uff i. Mahl.

Si vero ægro placuerit sapius corroborans sumere, sequens erit commodum:

Rx. Conf. Ros rubr.

Rad. Cichor.

Condit. carn. citri.

corr. citri āā ℥ij.

Cum Syr. cordial.

F. Condit. DS.

Sterckung allemahl i. Ballnus groß.

Quod si clysterem applicare velis, sequenti fieri id poterit.

Recipe Rad. altheæ ℥j.

Herb. Endiv.

Tarax.

Malvæ.

Brançæ Ursinæ.

Flor. melilot.

Chamamel. Rom. āā m. j.

Sem ruthæ. ℥ij.

Coq. in aquæ commun.

q. s. & colent.

In colaturæ lb. i. dissolv.

Ol. lilior. alb. ℥ij.

Mellis rosat. ℥ß.

MSS. F. Clyster.

XXXIII.

Hac quidem igitur ratione primæ viæ expurgari possunt. Tollenda porro materia venenata, quæve corrupta & putredinem passa est. Hoc alexipharmacis commode fieri poterit, ideoq; pro præsentis unum & alterum addemus.

Recipe



Recipe Bezoardici miner. ℥ij.

Salis prunell. ℥ij.

Camph. ℥j.

M. S. Schwispulver.

Dosis ℥j. cum aqua Card. benedicti dari potest. Pro deli-  
catoribus hoc modo præscribatur.

Recipe Smaragd. præpar.

Lap. bezoard. orient. āā gr. vi.

Hyacinth. præpar. gr. iij.

M. F. Pulv. p. i. dosi.

Quoniam verò toto morbi decursu alexipharmaca sunt ad-  
hibenda, Medicus exactam naturæ ægri & temperamenti  
cognitionem habere debet. Cumque nonnunquam acci-  
dat, ut æger valde debilitetur sudoriferis, admiscenda sunt,  
quæ ventriculum corroborant; qualia sunt succus Citri,  
Granat, Confectio Alkermes &c. Quod si sudor celeri-  
ter prodire nolit, calidis lateribus pedibus & axillis admo-  
vendis subvenire possumus. Ubi dein pro prudentis Me-  
dici arbitrio æger satis sudavit, diligenter mundis linteis  
calentibus abstergendus erit; vitato aëre frigido; & quia se-  
minaria morbi linteis facile adhærent, quæ repore lecti po-  
ros pertransire possunt, nova & moderate calida sæpius re-  
induere licebit.

#### XXXIV.

Postquam venenata materia in hunc modum expul-  
sa est porrò, necessum est adducamus illa, quæ putredini  
resistunt & calorem contemperant. Erunt autem talia me-  
dicamenta, quæ cor roborant & vi alexipharmaca venenum  
& putredinem non admittunt. In præsentia tale possit lau-  
dari.

D 2

Recipe



Recipe Lap. Bezoard. or. gr. xii.  
Magister. Perlar.

Corallor. āā ʒʒ.

M. Pro 2. dosibus æqualibus.

S.

Bezoarpulverlein.

Potest autem cum sequenti aqua pulvis exhiberi.

Recipe Aq. Bezoard.

Card. bened.

è succoacetos: āā ʒj.

Rotul. man. christi perlat. ʒʒ.

MDS. Wasser zu dem pulverlein.

XXXV.

Quod si natura pro robore suo forsitan expurgandæ  
materiæ viam affectet, & per urinarios ductus materiam  
expellere conetur, iuvanda erit convenientibus medica-  
mentis, præcipue illis, quæ promte ad vasa urinaria abeunt  
& materiam coctione corruptam secum abducere possunt.  
In quam rem laudantur emulsiones quatuor seminum fri-  
gidorum majorum; quibus tamen semina citri & cardui be-  
nedicti adjungi possunt. Nec non CC. præterquam enim  
quod illud per sudorem materiam malignam evacuat, pari-  
ter diureticum est. Quin huc aliquid conferat Spiritus Tar-  
tari qui egregie materiam per urinas expellit.

XXXVI.

Quod si progressu morbi calor semper adauctus fue-  
rit, non inconueniens videbitur iterata phlebotomia; quæ  
tamen prudentiæ Medici meritò relinquitur. Interim ca-  
lor contemperandus erit; cumque in illo calore sæpenu-  
mero sitis sentiatur intolerabilis, decoctum fieri poterit  
ex aqua fontana aut sero lactis, corticibus citri cum pulpa,  
adden-



addendo sachari q. s. pro grato sapore. Potest talem in modum formari.

Recipe CC. crudi & raspati ℥vj.

Rad. Scorzonerae ℥ij.

Coq. in aq. comm. q. s. ad medietatem & coletur ad lbj. adde.

Syr. Ribium ℥ij.

M. S.

Trank für den Durst.

Cumque in tali siti linguæ & oris ariditas quam maxima sentiatur, gargarisma sequens dari potest.

Recipe Aq. Decoct. hord. lbj.

Oxyfach. simpl. ℥vj.

M. S. Mundwasser.

Quo os sæpius colluere poterit ad tollendam illam ariditatem.

### XXXVII.

Cum vero, teste etiam Galeno, vivere ipsum nobis ex virium custodia constet, illarum incuriosi non esse debemus. Illæ enim, præcipue vitales, in hoc morbo prostratæ languent. Quare talia afferenda, quæ eas instaurare possunt. Qualia sunt quæ laudatissimum sanguinem generant, ex quibus novi ac copiosi spiritus facile procreantur. Sunt autem illa alimenta εὐχολα καὶ εὐπεπτα. Inter quæ præcipua credimus, jura carniū expressa, perdicum, gallinarum, turturum, carnis vitulinæ; quæ condiri possunt acido & corticibus citri, item macis cinamomi &c. Quin interdum vinum concedi potest, si tamen metus sit, vinum nimis cito ad partes internas maligno calore æstuentes penetraturum, buccella panis similaginei parum tosti vino macerata ægro exhiberi potest; ita enim

D 3

diuti-



diutius ventriculo inhærens eum roborat & virtutem per  
totum corpus diffundit.

XXXIIX.

Eget vero & cor maximè corroboratione. Quare  
pulveres & julepos cordiales præscribere possumus. In  
anxietate sequens aqua apponi potest.

Recipe Aq. Scabios.

Tussilag. āā ℥iij.

Cinam: ℥ß.

Confect. Alkerm: ℥j.

Syr. papav. errat. ℥iij.

D. S. Sterkendwasser uff 2. a. 3. leffel voll.

XXXIX.

Addenda nunc ultimo loco symptomata quædam quo-  
rum mentionem in dissertatōne vix fecimus. Cum enim  
tanta sit farrago illorum, omnia adducere non potuisse-  
mus nec nunc possumus. Quare nonnullis tantum in me-  
dium adductis, ubi simul indicaverimus quomodo illis sit  
subveniendum, finem huic disputationi imponemus.

XL.

Conqueruntur autem ægri in hoc morbo cum primis  
de Cephalalgia, quæ ex maligni humoris ac vaporis acri  
& venenata qualitate, membranas cerebri vellicante, ori-  
tur. Cum autem dolor affluxum humorum pariat, eti-  
am capitis dolor si perseveret, gravioris alicujus mali cau-  
sa & signum erit. Si itaque ventriculus & intestina gravem  
halitum ad caput effundant excrementorum alvi suppres-  
sione, aut corruptorum humorum copia illic hærente, al-  
vus



vūs pigrior enemate, aut suppositoꝝ irritari & vacuari  
debet. Si sanguinis fervor venas distendit, phlebotomia  
non abs re erit. Ad leniendum capitis dolorem & vapo-  
res halitusque revellendos sequens cataplasma applicari  
poterit.

Recipe Sem. papav. alb. ℥ij.

Nucl. Persic. ℥j.

Contund. in mortario marmoreo affusa sensim aquā ro-  
facea q. s.

F. Cataplasma.

S. Umschlag umbs Haupt.

XLI.

Nimum porro capitis dolorem sequuntur vigiliæ.  
Dolores nimirum turbant ut totum corpus ita & somnum  
naturalem. præterquam quod cum soli humores benigni  
sint apti somnum producere, acres & maligni benignita-  
tem illam somno necessariam tollunt, aut certè corrup-  
punt. Quare huic ut succurramus malo, narcotica adhi-  
beamus necesse est commode autem his sequentibus fieri  
potest.

Recipe Unguent. Alabastr. ℥ij.

Opii Thebaici vino soluti ℥ss.

Cum olei Nymphaeæ q. s.

F. Linimentum.

D. S.

Salblein zum Schlaf.

Adhiberi etiam poterit hæc potiuncula.

Recipe Aq. è sem. Card. ben. ℥ij.

Syr. de papav. errat ℥ss.

Opii



Opium in succo citri solut. gr. j.

Mixtur. simpl. ℥j.

MSSD.

Abendtrencklein uff 1. mahl.

Exhiberi quoque possit pillula ex laudani opiatu gr. ij.

XLII.

Cordis præterea affectus præcipui sunt, ægrotoq; & Medico negotium in hoc morbo facessunt. Et vero illa symptomata ægrum sæpius è medio tollunt; præcipue verò cordis palpitatio & animi deliquium. Vnde Hippocrat. *Qui sæpe & vehementer sine causa manifestâ animo linguuntur, ii derepente moriuntur.* Et notavit Galenus; *Palpitationi obnoxios omnes ante senectutem decessisse.* Quare aliquo modo & his occurrere docet symptomatibus. Palpitanti itaque cordi & eminentiis arteriarum in carpis manuum, temporibus, cartilagini & *Quædam* applicabimus oleum scorpionum Matthioli, quod cum alijs ita præscribi potest,

Recipe Ol. Scorp. Matthioli

in ejus defectu vulgaris

simpl. ℥iij.

Theriac. veter. Androm. ℥j.

Ol. stillat. cort. citri.

Meliss.

Macis añ gr. iij.

Ros. gr. iij.

Mosch. opt. gr. ij.

MSS.

In lipothymia pro revocandis spiritibus facies ægroti aspergi potest vino, aqua rosar, lavend. cinnamom. Intus aquæ cordiales ori infundantur, quæ momento quasi suos effectus



effectus præstant ut aq. Cinnam: spiritus lavend. melior.  
lilior. convall. &c. Naribus suaveolentia apponantur. Ut  
Balsam. ros. citri, rutæ, macis, angelicæ &c.

#### XLIII.

Ventriculus porro per frequenter magnam patitur mo-  
lestiam, vomitus enim & singultus supervenire solent. Vo-  
mitus itaque compescendus erit, corruptis humoribus  
qui ventriculi fundo vicinisque partibus adhærent, per al-  
vum vacuatis. Dein adhibenda quæ fervorem & acrimo-  
niam humorum obtundant, ac ventriculo robur addant.  
Illa autem sunt syrupus & vinum granatorum acidorum,  
item cydoniorum, prunorum sylvestrium &c. Innume-  
ra præterea medicamenta, ut & de alijs symptomatibus com-  
plura addi possent: Verum hæc nunc sufficiant de omni-  
bus.

#### XLIV.

Diæta postremo consistit in legitimo sex rerum non  
naturalium usu; Aër ergo ita disponatur, ne caliditate  
continuum augeat febrem, sed frigiditate transpirationem  
prohibeat. Sit itaque temperatus: magis tamen nonni-  
hil ad caliditatem vergens, ut poris apertis maligni & a-  
cres vapores facile exhalare possint. Serenus porro sit  
& suaveolens, ut spiritus reficiantur. Cibus sit tenuis mul-  
ti nutrimenti, pauci excrementi, ut juscula &c. Cibi dul-  
ces, qui facile bilescunt, & pingues vitandi. Cerevisia be-  
ne sit defecata, præcipue in potum citat decoctum hordei  
cum C. C. vel aqua rosar. scorzoner. & succo citri &c.  
Somnus quacunq; ratione conciliandus, vigilæ enim  
spiritus dissipant. Danda etiam opera, ut ægrotus  
E quiete



quiete dormiat, ne variis commotionibus vires magis pro-  
sternantur. Alvus sit aperta; si obstructa, clystere aut sup-  
positorio erit emollienda. Animi denique affectus sedu-  
lo fugiat ægrotus, ne medici omnis opera incassum ab-  
eat.

Et hæc sunt, quæ pro præsentis de hac lue dici debuerunt.

Summo Deo à quo omnia oriuntur bona, sit

laus honor & gloria in secula se-  
culorum.

F I N I S.



*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page is visible through the paper, appearing as bleed-through.]*





**A**nta strage Febres mortalia corda perurunt,  
Ut timor has quondam jussit esse Deas.  
Nulla quidem has inter, quam dicas jure beni-  
gnam,

Est tamen ante alias una maligna magis:  
Dira lues, malefida lues, quæ prima sororum  
Ad lethi facili tramite ducit aquas.  
Fronti nulla fides: blandiri novit, & inter  
Spes plenas furiis se armat, & igne novo.  
O factum bene! quod, quæ serpere fraude solebat,  
Nota est, & Medicus prævenit arte dolos,  
Hic quoque Tu Genii vires, Stisfere, recludis.  
Quæ venit ex duris, gloria major erit.  
Hactenus & formas plantarum, & noscere vires,  
Et quicquid Medicum, quæ patet, orbis habet.  
Hactenus humani mirari corporis artus,  
Et quo quæque loco viscera, cura fuit.  
Nunc constante gradu metam contendis ad artis,  
Et meritis dantur præmia digna tuis,  
Vive diu felix, & sit licet illa maligna  
Febris, iof victas det tibi tota manus!

*amicitiæ testandæ*

*scripsit*

HENRICUS MEIBOMIUS  
Med. D. & P.P.



Sicut Olympiacis victori cūrsibus olim,  
Tessera virtutis, cinxit oliva caput.  
Sic, STISSERE, mihi quo non est carior alter,  
Sedulitate gravi parta corona TIBI;  
Parta corona, TVAS Medicorum gloria docta  
Quam cingens confert, præmia magna, co-  
mas.

Gratulor hancce TIBI, quā nunc ornaris. Ho-  
nores

Majoresque TIBI, & prospera quæque pre-  
cor.

*Ita Clarissimo domino DOCTORANDO  
Amico suo multis nominibus colendo  
gratulatur*

PETRVS CHRISTOPHORVS  
Stockhausen Med. Stud.



HERVICVS MEIBOMIVS  
Med. D. & R.P.











X 2617648

1077











B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO MEDICA 1668, 34  
INAUGVRALIS  
DE  
FEBRE MALIGNA VULGO  
DICTA VNGARICA

Q V A M  
D. O. M. A.  
AVCTORITATE ET CONSENSV INCLVTI  
MEDICORVM COLLEGII IN ILLVSTRI  
ACADEMIA IVLIA  
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CLARISSIMO  
HERMANNO CONRINGIO  
PHIL. ET MED. DOCTORE HVJVSQVE  
ET POLITICES IN FLORENTISSIMA IVLIA  
PROFESSORE PVBLICO LONGE CELEBERRIMO,  
HODIE FACVLTATIS MEDICÆ DE-  
CANO SPECTABILI &c.

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONO-  
RIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
IMPETRANDIS  
PVBLICO EXAMINI SUBIECIT  
AD DIEM JVLII  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
IN MAGNO IVLEO  
HENRICVS CAROLVS Stiffer.

HELMESTADI,  
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.  
ANNO MDCLXVIII.

